



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

5. De coacto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

priuilegio legitimo censeatur, si tamen publica matrimonij denunciationes non sine crimine intermissæ fuerunt tali priuilegio proles priuatur. Secundò si quis alioquin intra gradum prohibitum ignoranter contraxit præmissis denunciationibus facili detecto postea impedimento, dispensationem à papa obtinere potest. Sin verò dictas solemnitates in contrahendo matrimonio neglexerit, spe consequendæ dispensationis in pœnam criminis carere debet, quia dignus non est, vt Ecclesiæ benignitatem facile experiatur cuius salubria præcepta temerè contempnit.

C A P. V.

De matrimonio coactò.

Matrimonium graui metu ad id iniustè inue-
 celebratum, iure Ecclesiastico irritum
 est: Ratio peti debet ex discrimine inter ma-
 trimonium & alios contractus, quod hi si causa
 metus iniusti celebrati sint, postea per exceptio-
 nem vel iudicis sententiam rescindi possint: At ve-
 rò matrimonium, si semel per mutuum consen-
 sum validè contractum sit, præsertim si etiam cõ-
 summatum rescindi nunquam potest ob sui indif-
 solubilitatem: Ergò necesse erat, vt ab initio
 ipsa iuris constitutione vis iniusta matrimonio
 impedimentum valoris afferret. Dixi autem graui
 metu, nam leuis metus non solet æstimari à iuri-
 bus, quia alioquin plurimè dispensationes & con-
 tractus in controuersiam vocarentur, cum leuis
 metus

metus facile interuenire, vel quasi interueniret, allegari probarique possit. Idque sentietur de professione Religionis.

NB. Si quis ad conciliandum animum iudicis (incarceratus) ex metu graui contrahat matrimonium, NB. quia metus iniuste incussus non est.

Nihil refert hoc loco, vtrum metus iniustus ab ipso contrahente an ab alio incussus sit, quia iura non in odium metum incutientis sed in fauorem libertatis matrimonij, metus impedimentum statuerunt.

NB. Matrimonium metu iuste incusso à iudice stupratori V. C. minimè infirmatur.

NB. Si teneamus, quod docui lib. 3. tract. 4. c. 3. sponsalia metu graui celebrata ipso iure irrita esse, dicendum est, eum qui metu graui alterum obligat ad matrimonium ante iudicis sententiam non obligari ad illud ratificandum; modo promisso ea occasione illud, alio modo satisfieri possit: Ratio, quia contractus onerosus, & reciprocus non potest claudicare, seu ex vna tantum parte obligare si ex altera parte obligatio nulla consistat secus est in contractibus, qui ipso iure irriti non sunt, quamuis rescindendi, hi enim possunt claudicare, videlicet ex vna tantum parte obligationem habere efficacem, ex parte altera vero inefficacem, quia per exceptionem eliditur.

Metus reuerentiæ non censetur esse iustus, & sufficiens ad infirmandum matrimonium, nisi adiuncta sint V. C. scilicet & minæ patris.

4 In dubio, vtrum metus grauis in matrimonij contractu interuenerit pro parte negatiua, adeoque pro valore matrimonij iudicari debet, eadēque ratio est de religionis professione: Ratio, quia licet maximopere curandum sit, vt matrimonium in perpetua coniunctione consistens libera voluntate contrahatur, ideoque sponsalia si quocumque etiam leuiore metu per vim extrinsecus iniuste incusso celebrata sint, facile dissolui possint, seu propria metum patientis opposita exceptione, seu iudicis implorata auctoritate postquam tamen semel matrimonium contractum est, potius est, vt validum, quam vt inuvalidum iudicetur, cum matrimonii causa fauorabilis sit, idque partim propter reuerentiam sacramenti, partim quia Reip. & prolis educandæ interest, vt matrimonia non soluantur nisi eorum infirmitas, seu impedimentum dirimens appareat.

Cæterum si matrimonium graue metu cogente contrahatur inter infideles, qui neque caesareis legibus subiecti sint, validum censerī debet; quippe cum consensus metum patientis, licet in voluntarium mixtum habeat, absolutè tamen voluntarius & liber sit, sicut dixi lib. 1. Tract. 1. ca. 6. n. 7.

C A P. VI.

De matrimonio simulato.

1 **S**I vnus contrahentium animum simulatum habeat omni iure irritum est matrimonium, quia sine vero consensu non subsistit contractus
matri-